





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICO-PRACTICA

DOCENS

METHODVM SPECIALEM

**TVMORES GLANDVLARVM  
CHRONICOS IN SCIRRHOS  
DEGENERANTES  
E FVNDAMENTO CVRANDI,**

QVAM  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
INCLYTAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN ALMA ET PERANTI QVA HIERANA,

P R A E S I D E

**DN. D. HIERONYMO LVDOLF,**

CHTMIAE ET MATHES. PROF. PVBL. FACVLT. PHIL. ET MED. ASSESS. ORD.  
DECANO FACVLT. PHILOS. ET CIVITAT. ERFORD.  
PHYSICO,

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES  
AC PRIVILEGIA  
LEGITIME OBTINENDI,  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR

**FRIEDERICVS ERNEST. PFEIFFER,**

WEISSENSEA-THVRINGVS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS  
HOR. CONSVENT.  
DIE XXV. AVGUSTI, MDCCLI.

E R F O R D I A E,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

111

INCITAT RERUM TIS MEDICAE  
BANDI VENITO GAVEND  
DIOGENES DEDICAT  
MYRIS DEDICAT  
COPPERIS DEDICAT  
INCITAT RERUM TIS MEDICAE  
BANDI VENITO GAVEND  
DIOGENES DEDICAT  
MYRIS DEDICAT  
COPPERIS DEDICAT

VIRO  
EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,  
JVRISCONSULTISSIMO, DOCTIS-  
SIMO DOMINO,  
DOMINO  
**JOHANNI ANDREAE**  
**CLEMMIO,**

HAEREDITARIO GORSLEBIAE,  
REGIS POLONIARVM PRINCIPIS ET ELECT. SAXON.  
PRAEFECTURA WEISSENSEENSI CVM LAVDE ET  
DIGNIS MODIS PERFVNCTO  
ETC.

DVCIQVE WEISSENFELSENSI SANCTAE MEMORIAE  
A REDITIBVS CONSILIARIO GRAVISSIMO  
ETC.

FAVTORI ATQVE PATRONO  
MAXIME MIHI COLENDO

MEMORIAE BENIGNITATISQVE CAUSA  
DICAT CONSECRATQVE  
**FRIEDERICVS ERNESTVS PFEIFFER,**  
VVeissenfca. Thuringus,  
s. c. Civitatis patria Physicus





## PROOEMIVM.

**I**ndustria Medicorum, de morbis acutis contagiosis, tam benignis quam malignis, scribentium, magna laude digna est, interim alii in medela morborum chronicorum, hydropis, febris quartanæ, icteri chronicæ, arthritidis, asthmatis chronicæ, tumorum glandularum induratarum, ulcerum chronicorum manantium &c. dies noctesque consumentes, imo observationes scribentes, non minora officia reipublicæ præstare dicuntur. Licet à Medico docto, vera genuina & certa medela omnium morborum, tam acutorum quam chronicorum, internorum & externorum, requiratur, interim tamen Medico vitio vertitur, morborum chronicorum medelam ignorare

A 3 &

& negligere, quibus potius in principio Medicamenta juxta versum opponenda sunt:

Principiis obsta, sero medicina paratur,

Cum mala per longas convaluere moras.

Si etiam Medicorum auxilium ab ægrotis in principio talium aliorumque morborum chronicorum requireretur, pauci de morbis chronicis, arthritide, surditate, epilepsia, & similibus querimonias agerent. Multi contra Medici, consilia mature quærenda negligentes, sibi remediis vulgaribus & sic dictis pharmacopolii domesticis mederi conantur, hi vero etiam longe errant, siquidem verus Medicus nunquam in casibus desperatis & curatu difficultibus sola medicamenta ægris suadebit: nam ad morbi curationem, morbi cognitio, convenientis methodus, consilia, medicamenta chymica & Galenica selecta, Diæta, regimen morbi, Chirurgia & sæpe Medici præfentia requiruntur. Morbis acutis laborantes omnes fere ex fundamento curantur, & pauci moriuntur, nisi magna adsit malignitas, natura etiam sine medicamentis sibi in talibus morbis, si non semper, tamen sa pius, medicari potest, præterea

rea efficaciam naturæ in morbis chronicis negare nolo, in nostris etiam regionibus, naturæ morborum medicatrices, juxta Hippocratem sunt, magis vero in acutis quam morbis chronicis. Hinc Medici doctissimi & Viri magni ingenii multæque experientæ observarunt, naturam in nostro climate non semper morbis acutis mederi, in morbis vero chronicis naturam raro vel non morbos profligare posse. Non parvum periculum ægroti in morbis chronicis subeunt, quando patientiam non possident, & hinc ab uno ad alterum Medicum currunt, amici & adstantes etiam interdum periculum augent, dum modo hoc arcam, modo illum empiricum, commendant, si tales vero amici prudentes essent, & rem medicam parum intelligerent, uti falso credunt, neque conscientiam onerarent, neque empiricos & medicastros laudibus exaggerarent, quotrum ruditate, & perversa medicamentorum applicatione, multi, qui conservari possent, jugulantur. Nemo etiam empiricum monstrare potest, qui verum morbum chronicum, & pertinacem, semper rite curavit, si vero interdum

dum casu fit, magis fortunæ vel naturæ adscri-  
bendum est, siquidem juxta Celsum, quos ra-  
tio non restituit, temeritas adjuvat, per temeri-  
tatem vero morbis mederi absit à Christiano,  
nam per medicamenta heroica, in manu im-  
periti, tanquam per gladium, in manu furiosi,  
præsertim si sine prudentia empirice applican-  
tur, plures moriuntur, quam conservantur.  
In praxi mea quam sub Altissimi benedictione  
XII. annos fere exercui multos morbis acutis  
laborantes curavi, & non paucos a morbis  
chronicis liberavi, quos & natura & medica-  
stri juvare non potuerunt, majorem vero per-  
tinaciam, difficultatem & laborem in morbis  
chronicis observavi, ideo de morbo chronicō,  
nempe de tumoribus glandularum, chronicis  
in scirrhos degenerantibus, disputare, labore  
& tempore dignum esse judico. Quamob-  
rem hanc meam dissertationem, aphorismis  
comprehensam, ipse proprio marte elaboravi,  
quam benevolus lector comiter excipiat,  
omni, qua possum, reverentia, oro ac ob-  
secro.

CAPVI

## CAPVT I.

Tractatio pathologica & practica de  
Tumoribus glandularum chronicis  
in scirrhos degeneran-  
tibus.

## §. I.

**T**umorem glandularum dicimus, si glandula a ma-  
teria viscida redditur tumida, & inde duritiem  
aliquam, instar globuli non admodum duri,  
nanciscitur.

## §. II.

Scirrus vero nominatur nodus durior, sine  
colore & dolore, ex materia valde tenaci congesta &  
compacta, ortum ducens. Scirrus saepe tumorem  
glandularum sequitur, & hi morbi similes causas ha-  
bent & in uno subiecto provenire possunt. De scir-  
rhis in specie mea dissertatio non agit, sed de tumorib-  
us glandularum chronicis, ex quibus facile scirrus  
existit.

## §. III.

Tumores glandularum, pro diversitate loco-  
rum, varia nomina a Medicis acquirunt, si tumor in  
glandulis parotidibus spectatur, parotis dicitur, tumor  
glandularum in inguinibus, bubo vocatur, reliqui tu-  
mores singularia nomina vix merentur.

## B

## §. IV.

## §. IV.

Tumores glandularum malignos inflammatorios, pestem & luem venereum comitantes, silentio præterimus, & tantum tumores glandularum chronicos scirrhosos externos, qui lente, sine febre & inflammatione, valde duri cum paucō & nullo dolore existunt, tractamus, hinc in differentia tumorum temporis parcimus.

## §. V.

Tumores glandularum facile visu & tactu cognoscuntur ex tumore & duritate glandularum, tumores glandularum benigni, & scirri expertes, facile medicamentis cedunt, tumores glandularum scirrhosi medicamentis non cito curantur.

## §. VI.

Tumoribus glandularum & formicæ otiosæ, & viri motum corporis non continuantes, mensibus haemorrhoidibus obstructis & plethora laborantes, quorum sanguis mucidus & pituitosus est, obnoxii sunt.

## §. VII.

Causa proxima est infarctus & stasis materiae pituitosæ vel sanguinæ in glandulis, quæ tonum amiserunt. Causas occasionales præbent aer frigidus & humidus, transpirationem impediens, & serum augens, atque coagulans, cibi viscidi pingues & copiosi, copiosusque potus cerevisiarius feculentus frigidusque, nimia quietus multus somnus, meditationes profundæ, tristitia, audoris, urinæ, haemorrhoidum mensium superflue.

presso, fonticuli consolidati, ulcera non radicitus curata, inflammationes male tractatae &c.

S. VIII.

Tumores glandularum chronicí si medicamentis non eradicantur, facile in scirrum mutantur. Scirri sanguínei majus periculum inducunt, scirri vero ex-sangues minori damno apparent, etiam si nullus periculo caret. Scirri, diu durantes, & altas radices agentes, facile, si perverse tractantur, cancrum profertunt.

S. IX.

In medela præsentium morborum sequentes indicationes administrandæ & peragendæ sunt, 1) Sanguis urgens & turgens imminuendus 2) materia peccans, obstrucionem formans, resolvenda & discutienda, 3) materia resoluta quavis via evanuenda, 4) compages partium debilitatarum roboranda, 5) Diæta cum regimine morbi conveniente ordinanda est.

S. X.

Primæ indicationi, venæsektione larga, præsertim in pede, præsente plethora, satisfactio præstatur. Nam per venæsektionem in pede nonsolum derivatio sanguinis, in partibus superioribus congesti, peragitur, sed etiam in plethoricis obstrucionis & anomaliis mensium hæmorrhoidumque prodest, siquidem plures plethorici motibus hæmorrhoidalibus laborant.

S. XI.

Secunda & tertia indicatio impletur medicamen-

B 2

tis

tis resolventibus, incidentibus, attenuantibus & discutientibus, quæ simul vim diureticam, sudoriferam, laxantem & purgantem possident. Ideo à Practicis commendantur

Radices: polypodii, pimpinellæ albæ, bardanæ, vineetoxici, scillæ ppt.

Herba: arnic. betonic. card. bened. heder. terrestr. serpill. beccabung. aliæque his similes

Ligna: guajacum, sassafras.

Gummata: ammoniacum, gummi juniper.

Salia digestiva: Nitrum depur. nitrum antimoniæ. tartar. vitriolat. Tachenii,

Sal Sedlicense & Epsoniense, arcæ. dupl. Sal tarari.

Mineralia: Cinnabaris, Antimonium crudum, Mercurius dulcis, æthiops mineralis DD. Schulzii.

Purgantia & laxantia: Sal Sedlicense Extractum Panchymagogum Croiliæ, Colocynth. Resin. Scammon. gialapp. ejus rad. & quæ pares virtutes possident, hæc non solum purgant, sed etiam resolvunt, siquidem purgantia & laxantia sunt optima resolventia.

Externe Emplastra: Emplastr. diaphoret. Mynsichti de cicuta &c.

Oleum Philosophorum, saponis, chamomillæ, balsam. sulphuris Rulandi &c.

Sacculi calidi ex herbis resolventibus, discutientibus & nervinis.

Sp.

**Spiritus camphoratus, tumoribus glandularum  
induratis illitus, postea mox linteal vel panni, vel saccu-  
li herbarum aromaticarum calide imponi debent.**

§. XII.

Hæc omnia in glandularum tumoribus pertinaci-  
bus & induratis, juxta rationes, observationes atque  
experientiam Medicorum, mercurialia, ut mercurius  
dulcis, pulvis resolvens D. D. Junckeri virtute præ-  
stant. Mercurius dulcis vero præmissis purgantibus,  
& quavis septimana semel interposito laxante medica-  
mento, quotidie semel ad grana duo in forma pulveris  
vel pilularum cum absorbentibus præscribitur & adhi-  
betur, præsente salivatione vero omittitur, interim de-  
cocta & infusa ex radicibus, herbis, floribus & lignis  
memoratis jugiter bibuntur.

§. XIII.

Externa caute adhibenda raro, & non nisi in casi-  
bus levioribus, præmissis purgantibus, profund.

§. XIV.

Quartæ indicationi satisfacimus roborantibus  
martialibus, croco martis Stahlii, TRa vitrioli martis  
Ludovici, & amaris, Eff. absinth. gent. rubr. quæ ta-  
men raro ab ægrotis, ob sumitus parvos evitandos, ac-  
cipiuntur & desiderantur.

§. XV.

Quinta indicatio peragitur observando Diætam  
& regimen morbi, nempe abstinenti cibis crudis, cras-  
fis, piscibus, lacticiniis, oleribus, flatulentis, leguminosi-  
bus, aëre humido, frigido, otio, &c.

B 3

CAPVT

## CAPVT II.

SISTENS

Casum & historiam hujus morbi, valde pertinacis, à faucibus inflammatis & exulceratis ortum ducentis, hac vero methodo curati.

Dominus quidam pius & doctus, à Mensie Martio anni præteriti, faucium inflammatione & exulceratione laborare incepit, uvula erat tumida & duo nodi in collo conspiciebantur, quos ab initio spiritu camphorato profligavit, de hoc morbo multos consuluit Chirurgos, qui vero neque externis, neque internis, fundamentalem consolidationem efficere potuerunt, sed morbus omittebat & mox redibat, etiam si unus quavis septimana purgationem & decoctum lignorum cum regime forti sudorifero dedit. Mens. Jun. Jul. & August. vero me consuluit, quamobrem illi Spec. pro infuso ex Lign. sassafr. cum herb. & Flor. arnic. &c. repetitaque laxantia, imo interdum purgantia mercurialia, cum levamine dedi, præterea ex consilio alicujus inter laxantia & purgantia Essentiam pimpinelle albae deglutivit, cum tali effectu, ut ab hoc morbo liberatus videretur, inde vero sanata exulceratione, usque ad minimam maculam, sex nodi partim in collo, partim in malis super maxilla, exorti sunt, quorum unus in latere sinistro super maxilla erat instar nucis juglandis, quinque alii vero nuce avellana

na majores erant, & surditate incipiente corripiebatur.

*Resolutio.*

Die 24. Septembr. denuo medela à me requirebatur, & venæflectionem largam in pede ad 3xvj. ordinavi.

Die 25. huj. dedi pilulas meas purgantes panchymagogas ad 3j. cum æquali quantitate mercurii dulcis. MDS. Purgier-Pillen frisch auf einmahl in kalten Bier, und nach 2 Stunden dünne trübe Wasser-Suppe hinterher.

Die 29. huj. Dominus Patiens narravit, fauces ex fundamento non sanatas esse, & in uno latere ulcusculum recrudesce, ideo ad totum morbum depellendum, curam radicalem, magis internis quam externis remedii patienter absolvendam, ferio commendavi.

℞. Extract. Glycyrrh. 3v. Matr. perlar. ppt. Mercur. dulc. subtilissime trit. aa. 3f. Sacchar. Canar. 3j. M. F. Pil. accurate divid. in xv. part. æqual. DS. 15. Doses Reinigende zertheilende Pillen alle Abend eine Dos. in Kofente.

℞. Rad. Vincetox pimp. alb. recent. aa. 3f. Herb. beton. Mij. Lign. Sassafr. 3f. MDS. Species zum zertheilenden Thee, 1 Löffel voll, in 1 Ndsel Wasser verdeckt stark zu sieden, und Vor- und Nachmittags 3. bis 5. Schüsschen zu trinken. Dabei Kofent zu trinken, kühle Luft, saure blähende Speisen und Getränke zu meiden, und sich Motion zu machen.

Die

Die 11. Octobr. Auditus redibat, & primæ tres pilularum doses laxaverunt, & sudores excitarunt. Dominus noster patiens prodibat & campus visitabat, atque eum domi non inveniebam, tametsi die 5 Octobr. levia signa salivationis sine salivatione venerunt, cum vero fumum herbæ nicotianæ hauriret, insolitam salivæ copiam non continuantem rejecit & ambulavit. Die 12. huj. salivatio post gingivæ dolorem & dentium vacillationem venire videbatur, ideo eum in lecto manere jussi sed salivatio d. 13. huj. non venit, lans igitur alias quavis septimana sub usu hujus medæ necessarium in forma pilularum adhibui d. 13. huj. ex Pil. panchym. m. gr. xij. DS. Lixir-Pillen xx. x. quæ Sexies laxarunt & nodi decreverunt. Eodem die confeci & dedi quinque novas pilularum mercurialium resolventium doses, quas sub die 29. Septembr. descripsi S. V. Doses Reinigende zertheilende Pillen, alle Abend 1 Dos. in Rofente.

Interim ad defensionem gingivæ & salivationem promovendam præscripsi sequens

℞. Flor. Chamomill. pug. 6.

Fic. ℥. Laet. aqu. simpl. aa. ʒvij.

M. Coque S. Womit den Mund fleißig auszuspühlen, doch es eine Weile allezeit im Munde zu behalten, hernach auszuspeyen.

Die 16. Octobr. camphor. & Emplastr. saponat. Barbett. præscripsi, quæ externa non adhibita sunt, quia spatio diei & noctis unius Dominus patiens lb. i. salivæ ejecit. Ideo regimen salivationis & diætam præ-

præscripsi. Cerevisia rubra & alba, vino spiritu frumenti, potulentis frigidis ei interdixi. Potus sit cerevisia secundana, (Kofent) non frigide bibenda. Cibi sint juscula aquosa gallinacea, hordeum excorticatum, pultes è farina aqua, ova sorbilia, cibus etiam modicus esse debet. E contrario aromata, salsi, acidi, duri & crassi cibi, caro lardum, legumina, olera, panis durus, alias que prorsus evitanda sunt. Animus sit tranquillus. Durante salivatione 1) in lecto manerendum est, 2) sudor evitandus sed non vi suppressendum 3) transpiratio lenis semper conservanda est, 4) hypocaustum constanter sit tepidum, frigoris & caloris expers hinc nocte parva calefactio necessaria est, 5) frigus, aerque frigidus eviteretur, 6) nil nisi præscriptum comedendum est, 7) neque a fenestra prospiciendum, neque ex hypocausto exerendum est. 8) Os quotidie ter vel quater gargarismate calido ex aqua, lacte, & sicibus colluendum. 9) Caput & collum à frigore custodiantur. 10) Barba non tondenda est: ultimum non observavit, neque salivatio impedita est. Hæc omnia serio observanda sunt, alias periculosa excitantur symptomata. Hæc scripsi ad Dominum patientem d. 17. Octobr. Hodie spatio 48. horarum itij. salivæ rejecit.

Die 18. huj. spatio 24. horarum it. ij. exspuit ideo pilulas notas dissuasi, eodem die, ob salivæ quantitatem, parvam collutionem oris ex aqua calida cum sicibus coct. suasi & dosim pilularum resolventium mercurialium.

Die 19. huj. spatio 24 horarum it. ij. salivæ, &

C

Die

Die 20. huj. it. iij. intra 24. horas expuit, & de torpore brachiorum querebatur.

Die 21. huj. it. salivæ venit, ideo dosin pilularum resolventium mercurialium suasi.

Die 22. huj. it. salivæ expuit, licet hesterna pilularum dosis non sumta sit.

Eodem die circa vesperum dosis pilularum mercurialium resolventium, ob salivæ inopiam, sumxit.

Die 23. huj. it. salivæ rejecit, ideo hodie denuo novam dosin pilularum mercurialium dedi, erat dosis vigesima prima.

Die 24. huj. spatio 24 horarum  $\frac{1}{3}$  it. salivæ rejecit, nodi decreverunt, sed non prorsus evanescebant, ideo eodem die  $\frac{1}{2}$ . Pulv. mei laxant. mercurial. gr. xxxiiij. DS. Laxier-Pulver ii. ii. Huic præmisi  $\frac{1}{2}$ j. pulveris absorbentis post pulverem laxantem die 25. huj. it. ips. rejecit.

Suasi Emplastrum de ran. Vigon. cum dupla mercurii quantitate, quod Dominus patiens tolerare non poterat, quia non juvabat sed cutim reddebat scabram.

Hodie, die nempe 25. huj. de sex nodis duo valde duri superfuerunt, quorum maximus in latere sinistro instar nucis juglandis habebat nunc magnitudinem nucis avellanæ minoris alter vero erat instar pisi.

Die 26 & 27 huj. it. salivæ rejecit.

Die 27. huj. dedi tres doses pilularum mercurialium resolventium pro tribus diebus

Die

Die 28 & 29. huj. saliva deficiens pilulis excita-  
ri non poterat, quam vi & magnis dosibus promove-  
re nolebam, siquidem Dominus noster patiens virium  
& carnis jacturam passus erat. Nam quemadmodum  
juxta D. D. Wedelium seniorem diaphoretica sine fa-  
dore expresso vel coactivo juvant sic etiam mercuria-  
lia sine salivatione opitulantur.

Die 29. huj. dedi gr. x. pil. m. panch. purg. D.  
S. Laxier-Pillen ic. quæ sexies laxarunt.

Die 30. huj. è lecto surrexit, & denuo 6. Doses  
pilularum mercurialium resolventium dedi pro 6. die-  
bus.

A die 29. Octobr. usque ad 3. Novembr. gingi-  
va erat integra & sana & dentes non vacillabant, quia  
vero hodie bis fumum herbæ nicotianæ hauriebat, bis  
t. salivæ sine incommodo exspuit.

Die 4. Novembr. dedi 20. doses pilul. mercurial.  
resolvent.

Eodem die dedi gr. xii. Pil. mear. panchym. D.  
S. Laxier-Pillen fruh ic. quæ quater laxarunt.

Eodem die etiam spiritum camphoratum & Em-  
plastrum saponat. Barbett. commendavi. Quia vero  
binis diebus, doses duplas pilularum sumfit, binis die-  
bus illis carere debebat.

Die 10. huj. dedi Pil. panchym. m. gr. xv. D. S.  
Laxier-Pillen ic. quæ bis pituitam crassam & immea-  
bilem rejecerunt.

Die 14. huj. ~~et~~ Rad. pimpin. alb. vincetox. aa.  
¶ Herb. beton. Mij. Lign. fassafr. ¶ M. DS. ut supra.

Die 18. huj. dedi pulv. Jalappin. mercurial. ~~et~~  
Trochisch. alhand. gr. iv. M. D. S. Purgier-Pulver ~~et~~.  
qui sexies purgavit.

Die 24. huj. Quia pilulæ mercuriales resolven-  
tes consumtæ sunt, Rec. Matr. perl. ppt. Sacchar. Ca-  
nar. aa. 3v. Mercur. dulc. subtilissime trit. 3j. M. F.  
Pulv. IO. DS. 10. Pulver, wie vorige Pillen zu gebrau-  
chen, alle Abend eines in Kofente, dabey Erkältung zu  
meiden.

Die 25. huj. dedi Pulv. lax. mercurial. gr. xxxij.  
Trochisch. alhand. pr. ij. S. Laxier-Pulver ~~et~~. qui de-  
cies purgavit.

Præsente dolore dentium, qui interdum appare-  
bat, ex hypocausto ire non permisi. Duobus diebus,  
duplas doses, proprio consilio, sumsit, sed ob dentium  
dolorem postea pulveres, alternis diebus, ordinavi.  
Die vero 3. Decembr. ultimum pulvrem mercuria-  
lem resolventem sumsit, & juxta meum consilium su-  
davit. Quia vero his mercurialibus non licet diu  
ægrotum tractare, ob periculum metuendum, vires  
& caro etiam non redibant, mitiora selegi, hisque me-  
delam absolvvi.

Die 4. Decembr. dedi dos. pil. laxant. Quæ nil  
effecerunt, siquidem Dominus noster patiens levibus  
medicamentis non purgatur.

Die

Die 6. huj. Rec. Pulv. purgant. m. 3*l.* Trochisc.  
alhand. gr. ij. Sacch. q. s. M. DS. Purgier-Pulver ic. qui  
sexies purgavit.

Die 14. huj. ob urinam pallidam & aquosam se-  
ptimanam unam durantem & reliquias parvas nodo-  
fas tollendas. Rec. Gent. alb. pimp. aa. 3*l.* cin. clavell.  
depur. 3ij. M. DS. Species mit 1  $\frac{1}{2}$  Ndsel Brandtewein.  
48 Stunden auf den Ofen zu setzen, und täglich 2 mahl al-  
lezeit 1 Löffel voll zu nehmen.

Hactenus tertius nodus modo apparebat, modo  
aberat, his vero adhibitis prorsus evanuit.

Quia vero die 24. Dec. adhuc duo nodi parvi  
aderant unus supra alterum infra maxillam, die 31. huj.  
p. Balf. sulphur. Rulandi & Philosoph. Doct. Fausii aa.  
31. MDS. täglich 2 mahl damit die Knoten zu schmieren, und  
das Meliloten-Pflaster darüber zu legen.

Dominus noster patiens hæc externa non lauda-  
vit, & majus auxilium ab internis sensit.

Die 4. Jan. MDCC LI. ad reliquias nodosas tol-  
lendas denuo dedi sequens.

p. Rad. vincetox. 3j. polypod. glycirrh. aa. 3*l.*  
Lign. Sanct. sassaf. aa. 3ij. MDS. Reinigende Species  
1. Löffel voll in ein Ndsel Wasser verdeckt stark zu sieden,  
und Vor- und Nachmittags 3. bis 6 Schäligen zu trinken.

Die 14. huj. p. Æthiop. Mineral DD. Schulzii 3ij.  
Sacch. 3*l.* M. F. Pulv. 32. DS. 32. Stück eröffnende zer-  
theilende reinigende Pulver, alle Abend eines in Kofente  
oder Bier.

Die 23. Januarii, dedi Pulv. purg. mercur. m.  
DS. Purgier-Pulver c. c.

Die 23. Febr. etiam Pulverem meum purg. dedi,  
præmisso digestivo salino.

¶. Rad. vincetox. 3j. polypod. glycyrr. aa. 3*fl.* Lign.  
Sassafr. Sanct. aa. 3ij. MDS. ut supra.

Post æthiopem mineralem, & purgantia, nodi de-  
nuo magis decreverunt.

Die 24. Martii, venæsectio in pede ad 3xvj. jux-  
ta meum consilium &, quia vires aderant, facta est.

Die 25. huj. dedi pulverem purgantem mercu-  
rialem.

His adhibitis 1) furditas, 2) faucium exulceratio,  
3) nodi pertinaces omnes, sub benedictione DEi altissimi,  
evanuerunt, ut vix locus ubi nodus major fuerit,  
monstrari possit.

### CAPVT III.

DE

## Cautelis & obſervationibus Practicis.

S. I.

**E**tiam priores doses pilularum mercurialium resol-  
ventium, quas ad normam pulveris resolventis  
mercurialis DD. & P. P. Junckeri, longe celeberrimi,  
confeci salivationem lenem excitarunt, posteriores ta-  
men salivationem non promoverunt, & absque saliva-  
tione

tione profuerunt, quod omnino de securitate parvarum dosium mercurialium testatur, siquidem doses parvæ diutius sine damno continuari possunt, & sœpissime sine omni salivatione operantur, quod probat Differatio de singulari mercurii dulcis usu in desperatis quibusdam morbis, Halæ sub præsidio DD. Alberti hab.

1745.

## §. II.

Mercurialia phthisicis, asthmaticisque non adhibenda sunt, neque in plethoricis, salivatio, vi & dosi magna mercurii, extorquenda est.

## §. III.

In cura tumorum glandularum, in scirrhos degenerantium, evitanda sunt 1) vehementia purgantia in debilibus, 3) vomitoria, 3) suppuratio, quæ in tumoribus glandularum chronicis fistulas & ulceræ cancerosa gignit, 4) exsæstio promiscua ubi interna sufficiunt, de qua etiam tristis loquitur experientia, 5) mercurialia, promiscue & in magna dosi data, 6) remedia volatilia interna. 7) Mercurius dulcis salibus non miscendus, 8) Secretiones & excretiones decenter promovendæ sunt. Qui plures cupit cautelas legat Scripta practica DD. Alberti DD. Junckeri, DD. Pelargi &c. sic bonus sequitur.

F I N I S.





01 A 6602

ULB Halle  
002 932 512

3







DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICO-PRACTICA

DOCENS

METHODVM SPECIALEM

TVMORES GLANDVLARVM  
CHRONICOS IN SCIRRHOS  
DEGENERANTES  
E FUNDAMENTO CVRANDI,

QVAM  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
INCLYTAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,  
PRÆSIDE

DN. D. HIERONYMO LVDOLF,  
CHTMIAE ET MATHES. PROF. PVBL. FACVLT. PHIL. ET MED. ASSESS. ORD.  
DECANO FACVLT. PHILOS. ET CIVITAT. ERFORD.  
PHYSICO,

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES  
AC PRIVILEGIA  
LEGITIME OBTINENDI,  
PUBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR

FRIEDERICVS ERNEST. PFEIFFER,  
WEISSENSEA-THVRINGVS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS  
HOR. CONSVENT.  
DIE XXV. AVGUSTI, MDCL.

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.